



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Qualiter Deus diligatur, 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT X.

Qualiter Deus diligatur.

1. **N**on mirum est, Domine Deus meus, si infidelis minus diligit te; minus enim te cognoscit. Sed quid est, Domine, de me miserabili creatura tua? Te enim per veram fidem agnosco, & te teneo, vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem. & glorificatorem. Urget namque ratio & iustitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi quia me fecisti; ad magis amandum sum tibi obligatus, quia me refecisti; nec tam facile me refecisti, quam fecisti. Nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura; nec tantum dura, sed & indigna.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, amor meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? In primo enim opere, me mihi: in secundo vero, te ipsum mihi dedisti: & tunc te mihi dando, me mihi tradidisti. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis quidem debeo. Quid ergo tribuam pro te? Nam etiam si me infinities rependere possem, nihil sum ego ad te. O Domine Iesu Christe, languentes animos amore reficiens, si intelligentia, quam mihi dedisti, uti vellem sicut deberem, cerne rem manifeste,

quo modo, imo quam sine modo, à me creatura tua amari merueris, qui prior dilexisti me, tantus & tantum & gratis, tantillum & talem & ingratum. Scio Domine, quod dilectio tua tendit in immensum & in infinitum, quia tu immensus es & infinitus.

3. Quæso igitur Domine, qualis finis debet esse mei, vel modus amoris? Amor enim meus Domine non est gratuitus, sed rependitur debitus. O clementissime Domine Iesu Christe, amicos tuos vivificans amore, extende ad me peccatorem miserabilem tuam exuberantem dilectionem; ut te diligam pro dono tuo & modo meo minus quam iusto. Nam etsi quantum debeo, non possum; non possum tamen ultra, quam possum. Potero autem plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Da igitur mihi tuum amantissimum amorem, quo te donante, te diligam & amem; tibi placeam, tibi serviam, tua præcepta adimpleam: à te non separer in præsentis & in futuro, sed tecum maneam agglutinatus amore in sempiternum.

CAPVT XI.

De triplici modo diligendi Deum.

I. **O** Immensitas amoris, dulcissime Domine Iesu Christe, doce me quemadmodum diligam te. Fac mecum tuam misericordiam, ut te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine avertar; prudenter, ne decipiar; fortiter, ne opprimar, aut ab amore tuo ullo modo, five mundi